



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

Boehme, Johann

Augustæ Vindellicorum, 1520

VD16 VD16 B 6316

De Græcia, & legibus a Solone Atheniensibus Græcorum longe principibus
sancitis. Cap. Secundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

De omnium gentium ritibus.

De Græcia, & legibus a Solone Atheniensibus Græcorum
longe principibus sancitis. Cap. Secundum.

Græciae descriptio.

Thermopylae Apeninus

Gallidromus

Regiones Græciae

Athenae & civium instituta

Athenae appellatio

Draconis leges

Civitas ordinibus distributa.

Concilium in Areopago

Quatuor tribus.

Quadringenti viri Areopagitis ad iudicium

GRæcia Europæ regio est a quodam Græco, qui late in ea rerum olim potitus est, appellata. Hæc ab Isthmi angustijs incipit, & a septentrione in meridiem vecta, qua sol oritur: Egeis, qua occidit, Ionij fluctibus obiacet. Thermopylae mediâ dirimunt, ut Italiam Apeninus iuga montium a Leucade & mari ad occidentem solem verso, ad alterum mare, quod ad ortum spectat tendentia. Extremos montes ad occasum Oetham vocant, quorum, quod altissimum est, Gallidromum appellant, per cuius vallem in Malliacum sinum iter est, non latius. lx. passibus. Hæc vna via militaris est, per quam, si nemo prohibeat, traduci potest exercitus, cetera loca adeo ardua & perplexa, ut ne expeditissimis quidem sint peruia: ideo pylæ, quasi portæ, dictæ: & a calidis aquis inibi nascentibus Thermopylae. iacent ad mare versa, Acarnania, Ætolia, Locris, Phocis, Bœotia, Eubœia pene terræ annexæ, Attica & Peloponnesus, longius prædictis in mare excurrunt, diuersa montium specie, & qua ad septentrionem obuersa iacet, includit Epirus, Perrebia, Magnesia, Thessalia, Pthiote, & sinus Malliacus. Athenæ civitas liberalium literarum & philosophorum mater: & qua nihil habuit tota Græcia clarius atque nobilius, fuit inter Achaïam & Macedoniam in regione quæ Attica appellatur, ab Athi filio Athenarum regis, qui Cecropi in regno successit, & Athenas condidit, unde & Cecropia dicta est: & postea a Mopso, Mopsopia: & a Ione Xuti filio: vel, ut Iosephus scribit, a Iano Iaphet filio Ionia: postremo a Minerua Athenæ: Græci enim Mineruam Athenam vocant. Atheniensibus Draco primum leges conscripsit, deinde Solon Salaminus multis prioribus ob poenarum magnitudinem abrogatis: omnibus enim fere legibus quas Draco tulerat poena erat morte definita, ut occij & deliciae conuicti, capite plecterentur. Qui olera, fructusue alieno prædio sublegisset, eodem quo & parricidæ supplicio punirentur. Civitatem census æstimatione Solon in ordines distribuit. In primo in fuere, quibus quingentorum Medimnum esset census. Secundo dein loco adscripti, qui trecentis censu forent, equosque alere possent. Tercius equorum onere adempto pari censu æstimatus. Et ex his fere ordinibus Magistratus creati, qui infra fuerunt Mercenarij nuncupati, concionis habendæ, iudicandique munia, cæteris exclusi magistratibus obibant. Quam civilem institutionem Rhomæ Sertius Tullius magna ex parte imitatus creditur. Concilium in Areopago ex annuis magistratibus constituit, instituti huius Draconem authorem prodiderunt. Quidam secundum hæc, quæ dixi, ut omnem Solon civilis discordiæ occasionem in futurum tollerent, ne temeraria multitudo incertis (ut solet) statibus iudicia turbaret. Ex quatuor tribubus, quæ Athenis erant quadringentos legit viros, ex singulis centum, his permissum, ut quæ Areopagite decreuissent, si æqua visa forent, probarent: si minus essent placida, pari potestate rescinderent. Atque ita, velut duabus anchoris nixus, aduersus omnes fluctus

immobilis mansurus ciuitatis status videri potuit. Paricidij, affectataque tyrannidis damnati, ne magistratum caperent lege vetuit: nec hos solum ab honorum petitione exclusit, sed eum quoque, qui orta in ciuitate seditione neutram partium secutus esset, mali ciuis esse ratus, quum proprias rationes in tuto collocarit, nulla communi cura sollicitudineue teneri. Habuit nec minus admirationis illud, ut foeminae, quae viros parum ad rem veneream idoneos sortite essent, vnum, quem vellent, ex mariti propinquis impune admitterent. Pecuniarias dotes e medio sustulit, ut pauca vestimenta, & vasa quaedam paruo empta paterna domo ferret mulier: testatus coniugij societatem, non precio, sed natorum charitate iungi oportere: ne in defunctos vita maledicta iacerentur. Si quis in sacro aut in iudicio, cui conuitium fecisset, quinque dragmis multaretur. Legandae pecuniae, ceterarumque rerum facultatem testari volentibus permissum, quum prius patrio instituto in familia esse debere censerentur, quae amicitia propinquitate praelata est, & gratia necessitati, in ea cautum ne dementia subdolaue persuasione fieret. Ploratus & lamentationes in alieno funere sustulit. Nec subsidia alimentae vlla filius patri deberet, a quo non arte esset aliqua ad vsum vite institutus. Qui illegitimo essent thoro procreatis neu parentes alerent. Enimvero qui meretricio non abstinet congressu, is perbelle demonstrat, se non liberorum procreationi, sed voluptati studere, seque ipsum mercede priuat. Moechum in adulterio deprehensum impune necari voluit. Qui vim ingenuae virgini intulisset decem dragmis multari. Ius vendendae filiae sororisue sustulit, nisi adhuc in stupro deprehensa. Qui Isthmia vicisset centum dragmas, qui Olympia, quingentas praemium ferret. Qui lupum vinctum attulisset quinque dragmas ex publico acciperet. Qui lupam dragmam vnam: hoc pecoris, illud bouis praecium: vetus fuit Atheniensem hanc beluam audivimus infectari: quippe quae aequales pecuniarum rei & agrorum cultui infesta. Eorum liberos, qui in praelijs occubissent publice nutriendos erudiendosque praecipit, quo sane animati singuli fortiter ac strenue in bellis dimicarent. Voluit etiam ut & is qui oculos in bello amisisset publice aleretur. Praeclare & illud statuit curatorem cum pupillorum matre non inhabitare, Cautum ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum substantia spectaret. Illud item non licere anulario venditi anuli seruare sigillum. Et qui alteri vnum oculum eruerit, ei ambos erui debere. Et quae non posuisti ne tollas, si quis secus facit capitale esto. Principem, si ebrius deprehensus esset, morte multandum. Athenienses ut dies secundum lunae cursum agerent monuit. Ex omni genere frugum mel & ceram extra Atticos fines asportari permisit. Nullum ciuitate donari nisi opificem, qui cum tota domo se Athenas contulisset, aut perpetuo exilio natali solo pulsus esset censebat. Has leges Solon ligneis tabulis, quas Axionas dixere, notatas, in centum annos sanciendo curauit, haud ignarus fore, ut his ciuitas longa temporis intercedine assueta, in perpetuum deinceps sanciret. Herodotus in decem annos Atticis legibus cautum prodidit. Sed ut sanctiores essent, magisque obseruarentur, aliorum legumlatorum more, qui latas

Paricidae

Att. legem

Lex admiranda pro mulieribus

Dotes pecuniarie subiacet

Legandae pecuniae facultas permissa

Luctus in alieno funere inhibitus.

Adulterorum poena

Victor praemium

Lupus ab Atheniensibus infectatus

Occisori in bello liberi ex publico aliti

Curator pupillorum.

Princeps ebrius morte multandus

Legum tabulae Axionae dictae

De omnium gentium ritibus.

Minerva Atheniensium legum author. leges ad numen aliquod referre solent, ipse, quemadmodum Draco antea; Minervam suarum authorem dixit: atque in verba sua iurare in foro ad lapidem senatum populumque induxit. Fuerunt Athenienses non aduenas neque passim collecta populi colluies originem urbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt: & quae illis sedes, eadem origo est. Primi lanificii, & olei, & vini usum docuere, arare quoque & serere frumenta, glande vel centibus monstrauerunt: literae certae ac facundia, & hic civilis ordo disciplinae veluti templum Athenas habent. Tres leges, quae in Neptuni placationem a Cecrope in mulieres, a quibus deus ipse suffragio fastiditus fuerat, & Mineruae post habitus, late erant, adhuc obseruabantur, videlicet, ne vlla vnquam mulier senatum ingrederetur, vt nulla earum proles maternum nomen accipiat, ne quis eas Athenas siue Athenienses dicat, sed Atticas. Caesos in bello Thucidide auctore in hunc modum sepeliunt, facto ante triduum tabernaculo, mortuorum ossa proponuntur, & suorum quisque reliquias, si quid lubeat, imponit, quum efferuntur singularum tribuum singulas tribus suae quaque tribus ossa continentes vehicula portant. Vnus item thorax inanis fertur, constatus eorum, qui non extant, qui inter caesos non fuere reperti. Efferunt autem promiscue voluntarii quique vel ciues vel hospites foeminae propinquitate coniunctis ad sepulchrum eiulantibus, conduntque in publico monumento, quod est iuxta monumentum Callisti, apud suburbana, vbi semper eos sepeliunt, qui in bello ceciderunt: praeterquam, qui in Marathone, quorum singularem fuisse virtutem existimantes: eodem in loco sepulchrum foecerunt postea veroque eos humauerunt, aliquis ab ipsa ciuitate delectus vir haud quaque pro in consulto habitus, & cui pro dignitate conueniat, super eos orationem habet, qualem decet de eorum laudibus, qua habita disceditur, hoc quidem more sepeliunt quo per omne belli tempus quoties id accidit legitime vtuntur.

De Laconia & Laconum siue Lacedaemonum institutis. Caput Tertium.

Oebalia Lacedaemonia Laconia in Peloponneso prouincia, quae & Oebalia & Lacedaemonia dicitur, a Lacedaemone Iouis & Thaygetae filio: a quo etiam clara & potens ciuitas in eadem regione aedificata est atque appellata. Haec quoque Spartha dicta est, a Spartho Phoronae filio, Agamemnonis regia fuit. Lycurgus insignis philosophus Polydectis Regis frater quum vita illo defuncto Imperium relictum filii tutoris nomine aliquandiu administrasset, ciuitatis statum atque regionis in optimis institutis, optimis legibus excelsit. Quum antea ex omnibus fere Graecis soli Lacedaemonii pessime morati essent tam circa se quam circa hospites, nullo consuetudinis conuersationisque commercio. Lycurgus ergo audacter rem aggressus, omnia iura, instituta, & prisca viuendi ritus abrogauit, atque ciuiliora quaedam multoque laudabiliora instituit. Primum omnium seniores de republica electi qui cum Regibus qui duo numero creati sunt consultarent, is ordo velut arbiter fuit, inter regiam potestatem regnabant.

Reges simul duo apud laconiam regnabant